



299

habere posset, quod non scinderetur in loco, ubi oculis suis videt scissam petram durissimam? Quis ibi non etiam alto gemitu fleret, ubi Christus Deus noster in cruce suspensus alta et magna voce emissa clamavit, oravit etiam pro crucifixoribus, latroni paradisum promisit, matrem moestissimam Johanni commendavit, felle et aceto potatus fuit, omnia ibi consummata esse dixit, spiritum in manus patris commendavit, et exspiravit; latus ejus miles lancea aperuit, sanguinem et aquam ibi fudit. Ecce, peregrine devote, hic Abel occisus a fratre, Isaac ligatus a patre, serpens aeneus suspensus a Moyse, agnus paschalis immolatus in lege, Deus occisus ab homine, Jesus crucifixus carne, rex tuus suspensus cruce, Dominus tuus condemnatus morte, mitis et humilis et innocens perfusus cruore, sacerdos et hostia offerens sese. Haec et his similia in hoc tremendo loco contemplabamur, et diutius in oratione prostrati mansimus. Finita autem oratione unus post alium ad petram sanctam, quae prominebat supra fundamentum, accessit, et ad foramen crucis se quilibet juxta loci (B) dispositionem traxit, et locum ipsum eximia cum devotione deosculabatur et faciem, oculos, os quilibet super crucis foramen posuit, de quo nimirum foramine dulcis admodum spirat odor sensibilis, qui perceptibiliter hominem recreat. Brachium, etiam manus in ipsum foramen misimus usque ad suum fundum. Et cum his indulgentias (††) plenariae remissionis accepimus.

Porro in latere sinistro foraminis est in ipsa petra grandis scissura, a summo usque deorsum, quae in Christi exspiratione facta creditur. Ad illam scissuram etiam accessimus unus post alium, et ipsam deosculati sumus, capita nostra ei imponentes magis et corpus, quantum fieri potuit. Insuper ab utroque latere sancti foraminis sunt alia duo foramina, in quibus duorum latronum cruces fuerunt impositae, qui crucifixi fuerunt cum Iesu, Dysme et Gesme: sed illa foramina videri non possunt, quia super ea stant columnae, non altae, in quarum capitibus sunt ferrei clavi, ad quos cerei et candelae affiguntur, et sunt istae columnellae quasi candelabra. Ipsam tamen columnam dextram deosculati sumus. Ut patet supra, fol. 67. A.

314

312

318

308

323

303

363

263

413

213

Ende

Anfang